

Beihef

2

S 61

1227.

[16  
61]

Die Äbtissin von Metelen schenkt dem Stift Langenhorst 3 Schillinge jährlich.  
 Omnibus presens scriptum inspecturis conventus in Langenhorst eternam  
 in Domino salutem. Notum sit universis Christi fidelibus, quod inclita  
 domina Gertrudis de Benethem, Methelensis ecclesie pia ac devota abbatissa,  
 illud apostolicum in armario pectoris sui fideliter revolvens, quod omnes  
 stabimus ante tribunal Jesu Christi singuli, prout in corpore gessimus,  
 rationem reddituri, et ob hoc diem extreme messionis nos oportet bonis  
 operibus et elemosinis prevenire ac seminare in terris, quod reddente Domino  
 cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, quoniam, ut idem ait  
 apostolus: qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus,  
 de benedictionibus metet vitam eternam, pro remedio anime sue redditus  
 trium solidorum Monasteriensium ecclesie nostre imperpetuum habendos com-  
 paravit, recipiendos de curte in Haren. Hanc autem assignacionem fecit  
 de voluntate et consensu totius conventus sub tali promissione, quod custos  
 hos redditus recipiens conservabit et in proxima tercia feria post octavam  
 Trinitatis omnibus tam fratribus quam sororibus in refectorio cibi et potus  
 faciet consolacionem. Nos quoque pie devotionis eius sequentes exemplum,  
 saltem aliqua vicissitudine benignitatem ipsius recompensare volentes, nos  
 et successores nostras in hunc locum nobis succedentes presenti scripto et  
 sigilli nostri testimonio obligamus imperpetuum, quod, quamdiu Dominus  
 eam in hoc seculo corporaliter conservare dignabitur, proxima secunda feria  
 post octavam Trinitatis pulsatis campanis solemnes vigilias et die sequenti  
 missam animarum solemniter celebrabimus, et participem eam omnium  
 oracionum nostrarum fecimus. Postquam vero Deus omnipotens ad eterne  
 beatitudinis requiem animam ab hac luce evocaverit, in die obitus sui  
 solemnes vigilias et in die sequenti missam pro defunctis solemnius, quo  
 possumus, celebrabimus et sic deinceps singulis annis in quolibet anniversario

suo devotissime observabimus et consolationem antedictam trium solidorum,  
 scilicet in die obitus sui neconon in anniversario, sicut supra habitum est,  
 habebimus a custode; ab ipsa die obitus ipsius corporalem disciplinam ad  
 annum singulis diebus recipiemus pro ipsa et psalmum „Miserere, mei  
 Deus“ quolibet die cantabimus. Ut autem hec a posteris nostris firmiter et  
 inviolabiliter observabitur, presentem cedulam conscribentes sigilli nostri  
 appensione roboravimus. Acta sunt hec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XX<sup>v</sup>VII<sup>o</sup>.

Orig. mit Siegel: Sigillum Sti. Johannis Baptiste in Langenhorst; zu  
 Langenhorst gelegt; nicht im Repert. verzeichnet. — Kopie im Kopiar I S. 55 mit  
 Überchrift: . . . III sol. annuatim de curti Elverkine alias Harem. Ferner  
 Regest im Kopiar II fol. 33 mit Datum MCCXXXVII.